

Quaestio medica an miliaria alba systematis nervosi soboles, occasione icticae miliis albissimis conspersae : noviter mota dissertatione inaugurali ... / praeside ... Ferd. Christophoro Oetinger ... pro gradu doctoris medicinae publico examini submittit d. xxvi. septembr. MDCCLXVIII. auctor Joannes Jacobus Pfleiderer.

Contributors

Oetinger, Ferdinand Christoph, 1719-1772.
Pfleiderer, Johann Jakob.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Litteris Fuesianis, [1768]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/n6psj4ec>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Albrecht

QVÆSTIO MEDICA
 AN MILIARIA ALBA SYSTEMATIS
 NERVOSI SOBOLES,
 OCCASIONE ICTERICÆ MILIIS ALBISSIMIS
 CONSPERSÆ,
 NOVITER MOTA
 DISSERTATIONE INAUGVRALI

QVAM,
 SVB AVSPICIIS DIVINIS
 RECTORIS VNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO,
 SERENISSIMO AC POTENTISSIMO DOMINO,
 DOMINO
 CAROLO,
 VICE WIRTEMBERGIÆ ET TECCIÆ REGNANTE, rel. rel.
 PERMISSV GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ,
 PRÆSIDE
 VIRO EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO,
 DOMINO
 ERD. CHRISTOPHORO OETINGER

MED. DOCT. ET P. P. O.
 REPUTATIONIS IMMEDIATÆ DVCALIS MEMERO, ACAD. ELECT. MOGVNT.
 SCIENT. VTIL. SOCIO IN MEDICIS ORDINARIO,
 FAVTORE ATQVE PATRONO COLENDISSIMO,
 PRÆCEPTORE AD CINERES PIE VENERANDO
 PRO GRADV DOCTORIS MEDICINÆ
 PVBLICO EXAMINI SVBMITTIT
 D. XXVI. SEPTEMBR. MDCCLXVIII.

AVCTOR
 DANNES JACOBVS PFLEIDERER, *Kircho-Teccensis.*
 TVBINGÆ LITTERIS FVESIANIS.



CASVS ICTERICÆ MILIIS ALBISSIMIS CONSPERSÆ

A

VIRO ILLUSTR *atque* *EXPERIENTISSIMO,*

A. STOERCKIO,

ARCHIATRO CÆSAREO CELEBERRIMO,

DESCRIPTVS

EXSTAT IN ANNORVM MEDICORVM AB IPSO EDITORVM

P. I. PAG. 40. DE MORBIS ACVTIS MENSIS DECEMBRIS 1758.

seqq. verbis:

Fœmina, ictero ab aliquot diebus laborans, corripitur horripilationibus, dolore capitis, siti magna; pulsus fit celer, plenus, respiratio difficilis.

Pulsus plenus, & continuo febrilis, venæ sectionem, & remedia antiphlogistica putredini resistentia indicavit.

Urina fuit ex flavo rufa, chartam tingens. Circa quartum diem ægra fuit anxiosa, debilis, & hinc inde pauca miliaria appa-

A 2

rue-



ruerunt. Suris ilico apponebantur vesicantia, & præter potum ordinarium, qui erat serum lactis exhibebatur alternis diebus vel Claret.

℞. Claret. fact. ex conserv. fl. cord. lib. j
 Syrup. diacod. unc. jss
 Spir. Sulph. per camp. q. s. ad grat.
 M. S. Sumat æger omni trihorio duo cochlearia.

vel Emulsum:

℞. Camph. gr. XV.
 Sem. Melon. unc. iij
 F. c. aq. hort. emuls.
 colat. lib. jss
 add.
 Syr. Papav. alb. unc. jss. M.
 f. exhibeantur omni trihorio unc. binæ.

noctes diacodio tranquillæ factæ sunt.

Septimo die copiosissima miliaria alba proruperunt, vires tamen manserunt debiles, respiratio fuit liberior; verum eodem die accessit delirium, & capitis gravitas.

Nuchæ igitur vesicans appositum est, & medicamenta priora continuata sunt.

Undecimo die adhuc deliravit, jactavit membra, fuit debilis, anxia; sitivit multum, subdormivit oculis semi-clausis, urina fuit ex fusco rufa, chartam profunde tingens, nullum sedimentum ponens; feces albæ. Sub finem diei undecimi subsequetur sudor copiosus, disparuerunt fere omnia miliaria, & ægra paulo post melius habuit.

Sudor usque ad decimum quartum diem subinde admodum levis, subinde magnus fuit, ægram autem nunquam defatigavit.

Decimo



Decimo quarto die mens facta est serenior, febris mitior; decimo septimo die febris desit, & vires sensim auctae sunt.

Vigesimo quarto die actiones fere omnes erant bonae, urina tamen ex flavo - fusca mansit; feces fuerunt adhuc albae, & cutis tota icterico colore profunde tincta. Sequenti die ad icterum curandum exhibebatur mist.

R. Sapon. Venet. unc. β
Solv. in aq. fumar. lib. j
add.

Syrup. Fumar. unc. $\bar{ij}$
Rhei elect. dr. $j\beta$. M. S.

dentur omni bihorio duo cochlearia.

qua bis absunta icterus disparuit, & agra fuit sana.

Exanthemata miliaria in hac agra observata aequae alba fuerunt ac in aliis agris, licet cutis per universum corpus profunde flavo colore tincta apparuerit.

§ I.

En febris miliaris albæ, quæ ictero accessit, historiam! *Ortum horum miliarium alborum* investigare, scopo dissertationis inserviet.

§ II.

Febris miliaris alba est febris acuta exanthematica pustulis albis milii granis similibus dignoscenda.

§ III.

Obruimur miliarium alborum theoriis; quilibet fere suam sibi de miasmatis hæc exanthemata producentis causa, sede, & ortu hypothesein fingit, fictamque defendere annititur. Ad duas vero primarias, quoad ortum, plurimorum sententiæ reducuntur.



§ IV.

Altera scilicet autorum pars miliarium alborum materiam *vasis seroso-lymphaticis*, altera eandem *nervis* innidulari, suosque effectus producere statuunt. Utramque sententiam suam tuentur commoda, sua incommoda premunt.

§ V.

Præcipua inter incommoda, quæ priorum sententiam premunt, est omnino rarior hæc, quam Ill. STÖERCKIO debemus, miliarium alborum, quæ ictero supervenerunt, historia; stante scilicet hujus casus veritate, *miliarium alborum ex vasis lymphaticis flavissima icterica lymphæ plenæ ortus* vix concipi poterit.

§ VI.

Icterus flavus est universi corporis flava decoloratio, ex bilis excretionē turbata.

§ VII.

Icteritia hæc coloris naturalis defœdatio, primum ordinario in tunica oculorum sclerotica, & paulo post in fronte pariter, genis, ac collo conspicua evadit, deinde vero latius paulatim per totum vultum totumque habitum corporis cutaneum diffunditur, immo tingens materia biliosa universam humorum massam inficit, & altius nonnunquam in duriorum partium solidarum compagem penetrat; hinc urina saturato colore croceo-rubente aut croceo-fusco tingitur, suamque flavedinem linteis immerfis inducit; Sanguis, vena emissus, præsertim supernatans pars serosa valde flavescit; & interdum quoque sub morbi scilicet diuturnitate ac gradu majori, Saliva, quin ipsa ossa, similem colorem induunt, qui posterioribus tam refractarie postmodum inhæret, ut post mortem quoque, sceletō forsan inde composito, perfecte rursus in iis deleri nequeat. a)

§ VIII.

a) Cartheuser Fundam. Pathol. & Therap. T. II, Sect. VI. Cap. II. § III.

§ VIII.

Interim cadaverum ictericorum Sectiones non solum hanc humorum & partium intimiorem ex bile infectionem & profundam tincturam satis superque comprobant, sed etiam demonstrant, ad cerebri substantiam inprimis medullarem non penetrare flavedinem. Unius saltem a Clar. SYLVIO institutæ Sectionis exemplar allegare liceat: a) *Omnes liquores, pericardii, meningis. & c. flavi; sed tenuis meninx minus flava, cerebri substantia satis alba, in ventriculis liquor satis copiosus, limpidus, subsalsus. Pericardium cum sua pinguedine flavebat impense, liquor contentus, paucus, flavus, subsalsus, & parumper amaricans; dura meninx flavescens, & liquor sub ea conspicuus, cujus sapor non erat notabilis.*

§ IX.

Cum itaque subtilissimi ferofo-lymphatici humores, pericardii, scleroticæ, ossium, quin ipsa saliva, icteri flavedine inficiantur; cum ipsa insensibilis transpiratio bilem spirèt, flavoque colore indusia tingat: Qui fieri potest, ut, cute per universum corporis habitum profunde defœdata, exanthemata erumpant *æque alba*, ac in aliis ægris? Nonne potius serum profunde flavum flava quoque exanthemata producet?

§ X.

Cadit adeoque simul figmentum, quasi sedes icteri in vasis lymphatico-serosis amplioris diametri statuenda esset, ut exanthematum horum alborum ortus ex subtilissimis tantum vasorum cutaneorum osculis, quorum diameter albos tantum feri globulos admittat, flavos contra excludat, facilius fingi possit: cum (vi § IX.) idem serum icterica flavedine tinctum minutissima scleroticæ, pericardii, glandularum salivalium, vasa ingrediatur, immo, quod directe hanc fictionem ferit, a vasorum incute exhalantium diametro admissum transpiret.

§ XI.

a) *Ephem. N. C. Ann. IV. & V. Obs. CXCIV. p. 262.*



§ XI.

Nonne sanguis, objici porro potest, sub tanto attritu, quem febris in icterica hac ægra excitavit, mirum in modum resolvi & mutari potuit? Nonne sub tanta, quantam ægra sustinuit, febris vehementia & sanguinis resolutione, serum flavum ita resolvi potuit, ut subtilior aquæ simillima pars volatilis a superstitis fixæ flavæque partis compedibus facilius secedere, minima cutis vascula intrare, sub epidermide stagnare, & hæc exanthemata producere potuerit?

§ XII.

Ita vero se habet hoc argumentum, ut eo potius ad refutandam hypothesin de ortu exanthematum ex vasis seriferis uti possim. Febris quidem humores subigit, resolvit, & liquidissima a crassioribus separat: Verum sub tanto febrilis caloris gradu phlogisticæ bilis partes magis evolvuntur, volatiliores redduntur, motibus tam progressivo quam intestino auctis intimius cum universa humorum massa compinguntur, fortius invasorum series protruduntur, eo minori sub impedimento, cum singulorum vasorum diameter sub febrili æstu ampliatur, ut adeoque majora æque ac minora serifera vasa impensius bile infarciuntur, & universus cutis habitus profunde flavescat. Exanthemata igitur sub tali icteri & febris complicatione efflorescentia, siquidem eorum ortum ex massa seroso-lymphatica derivare volueris, eodem flavo colore, quo serum tinctum est, imbuta apparebunt, qualia Cel. KLEIN recenset: *a) Morbus*, dicens, *arquatus solvitur quandoque erysipelate vesiculari, pustulis flavis purpuræ, variolarum instar magnis, prurientibus multum*; sed in Ill. STOERCKII casu neque flava erant hæc exanthemata, neque eorum eruptio vel desquamatio icterum levavit; adeoque aliunde, quam ex vasis seriferis, eorum origo petenda est.

§ XIII.

a) Interpr. clinic. p. 149.



§ XIII.

Eidem hypothefi cafus, quem ZWINGER obfervavit, rarior at notatu digniffimus, quam maxime repugnat: a) *Femina fuit tenerioris habitus, viginti circiter duorum annorum, quam febris miliaris alba invafit, quæ, quamvis ipfi narium hæmorrhagia, diarrhæa, & copiofum urinæ poftuvium Supervenerint, fuum, tamen, absque ulla perturbatione, decurfum perfècte abfolvit.* Curiofa Satis eft hæc hiftoria, vixque hypothefin de ortu miliarium alborum ex lymphaticis vafis admittit. Quodfi enim attendamus, quomodo Singulæ Se- & excretiones in œconomia animali procedant, quod aucta quadam excretionem reliquæ imminuantur, immo sæpius in totum fufflaminentur: Vix ac ne vix quidem perfpicio, qui fieri aliter potuiffet, quin Sub tot motuum anomaliis, eorumque modo ad hanc, modo ad illam excretionem directionibus, maxime quidem in femina tenerioris habitus, fi non exanthematum retroceffio, fumma certe typi & decurfus febrismiliaris confufio nata fuiffet, fi systemati circulationis humorum lymphatico-feroforum ultimæ subtilitatis ortum debuiffent.

§ XIV.

An ideoque *ex nervis eorumque fluido* papularum miliarum albarum ortus? Audiantur primum hujus hypothefeos fautores.

§ XV.

BRUNNER de Febre maligna miliari fcribens: b) *die, inquit, feptimo apparuerunt papulæ feu veficulæ pellucidæ ceu cryftallinæ, milii feminis magnitudine, hinc inde per corpus diffeminatæ,*

a) *Frid. Zwinger obferv. de Feb. milia S. purpura alba. recensita legitur Comment. Lipf. Vol. VI. p. IV. p. 677 &c. &c. & Vogels neue medic. Biblioth. 4. Band 3. Stük p. 206.*

b) *Ephem. N. C. Decur. III, Ann. VII. & VIII, Obf. CCVI, p. 341. feqq.*



natae, mox numerosiores, tandem numerosissimae, tanta teneritudine & perspicuitate, ut hac vel cum subtilissimo vase lymphatico certassent. Nec ego, pergit in annexo scholio, satis concipere nec admirari potui, quis ille esset in corpore humor, qui subtus epidermide effusus, tantam memoratis bydatidibus pelluciditatem conciliaret, ut vel cum diei splendore certarent, & aciem visus diaphaneitate sua tantum non subterfugerent. Nec illud liquet, unde aut quomodo suam pelluciditatem servant tam diu intemeratam; certe vel serum vel quivis alius e sanguine tam diu extravasatus humor ad suppurationem tendit & corrumpitur, praesertim si ad extimam usque perductus corporis superficiem aëri sit expositus; mansit autem hic in tenerrimis suis vesiculis incorruptus. Exinde apparet, plus perculi imminere ab ipsis papulis, quam a quovis alio exanthematum ex M. S. oriundorum genere. Quid tandem de hisce sentiam, anceps hæreo. Nec possum, quia aliquid de succo nervoso suboleat, & in mentem veniat illorum sententia, qui Februm sedem statuerant in genere nervoso; omnes in universum febres utrum in illo hospitentur, non attinet dicere. Certe dictarum bydatidum facies, genesis, & ipsa, quæ hisce superveniunt, symptomata periculosa, aliunde quam ex M. S. et arteriis promanare arguunt. Quodsi statuamus nerveum fluidum, forte adcommodatius erit ad explicanda, quæ illas comitantur, Symptomata. Et enim cum cutis non sit, nisi contextus fibrillarum nervearum, quo sensum tactus constituit natura, intertextis glandulis & vasculis tam sanguifluis quam lymphæ ductibus, valde limpidissimus, qui vel omnem aliam ex M. S. aut arteriis fluentem superat limpiditate humor, a nervis derivaretur, quin inquinatus perperam, circa nervorum extremitates interceptus, tales bydatides limpidas citra commixtionem sanguinis aut alius humoris excitaret splendidissimas, diu incorruptas. Recentissime eandem hypothesein defendit Cel. de FISCHER, qui sic alba miliaria (§. 21. in tractatus sciagraphia) describit: a) *Milia vesicularia, purpura alba dicta,*

su. 2

a) de Fischer tractatus de febre miliari, Purpura alba dicta, Riga. 1767.

sunt nervorum excretiones halituosæ, quibus, si spasmus febrilis adest, vel ex domestica corporis causa, vel ex animi pathemate, vel ex aëre succum nervorum alterante, sanguinem in visceribus coaugmentans, & primario plexum mesenterii in tumultum agens, adeo, ut ex his, in consensum actio parvi vagi nervorum ramulo, ad præcordia anxietates, vigilæ, deliria, convulsiones, æstus volatici, sudores, & reliqua hypochondriacis & hysteris solennia symptomata generentur, pro dato nervorum robore facile vel difficulter sanabilia. quin in posteriore casu sæpe in apoplexiam vel in partium nobiliorum vel in ipsorum nervorum visibilem aut invisibilem necrosin cum morte, aliquando in sanitatem terminantia. Quam descriptionem (p. 74.) resolvit, & paucis dilucidat; verbis: *Excretiones halituosæ sunt, quia vix aliquem reddunt mædorem, nec quando desquamantur. Aliter fit, quando ex arteriis in venas resorbendus excernitur in cute humor morbidus, purpuram rubram, petechias, morbillos, variolas aliasve generans efflorescentias. Hæc exanthemata enim, quia ex M. S. separantur, toto cælo a purpura alba differunt, miliis pellucidis, nervorum sobolibus &c.*

§ XVI.

Ex his apparet, hypothesein de ortu miliarium alborum ex fluido nerveo non plane incongruam esse, & auctoritate Vi-
torum Celeberrimorum jam corroborari posse. An vero etiam a priori admitti mereatur, jam erit videre?

§ XVII.

De nervis eorumque fluido medicos inter magnæ controversiæ a multis inde temporibus movebantur. Alii nervos involucri, alii contenti ope agere contendebant. Cum vero plurima sint argumenta, quæ priorem sententiam enervant: posterior jam fere ab omnibus adoptatur.



§ XVIII.

Maximi scilicet roboris sunt argumenta, quæ fluidum nervis inesse probant; Certe fabrica cerebri vasculosa, maxima sanguinis copia, quæ ab arteriis encephalo ad vehitur, dubium vix relinquunt. Eleganter hæc pertractavit Roland Martin dicens: a) *Man urtheilt mit weit grösserem Grund, wenn man das Hirnmark eben sowol für eine Zusammensetzung unzähliger Gefässe, wie die eussere graue Substanz ansiehet, als wenn man dasselbe sich mit Lister und Vieussens als einen Schwamm vorstelllet, oder sie mit den Stablianern für ein festes, oder mit Malpigh für ein aus lauter Drüsen bestehendes Wesen hält. Diss wird noch weiter durch die besondere Beschaffenheit der vier Schlag-Adern, die dem Gehirn das Blut zuführen, bestätigt; indem sie nemlich so zeitig von dem Herzen abgeben, so gross sind, und so viel Blut enthalten. Denn hieraus kan man schliessen, daß beede Substanzen des Gehirns einen solchen Bau haben müssen, daß sie diese menge Geblüt annehmen, und einen guten Theil desselben, ebe es durch die Blut-Adern wieder zurückgeföhret wird, ableiten können. Zu einem solchen Zweck aber sind die Röhren am bequemsten, und da man auch würklich dieselbe lang mit den Augen verfolgen kan, warum sollten sie nicht auch da fortlaufen, wo sie unser Angesicht verlassen muß.*

De sanguinis ad encephalon vecti copia idem auctor porro differit: *Daß der Gefässe in dem Gehirne mehr sind, als zu dessen Nabrung erfordert wird, zeigt die beträchtliche Anzahl derselben vor denen, womit andere grössere Theile im Körper versehen sind, an. Vornemlich aber erbellet diss daraus, weil so wenig Ae-ste von den Stämmen, die zum Kopf gehen, unterwegs abgeworfen werden; weil sie über dem den kürzesten Weg und zwar in gerader Linie nehmen, und folglich so geschwind das Blut nach dem Kopf föhren, daß keine feinere Feuchtigkeit eber als an dem rechten Ort abgeschieden werden kan.*

§ XIX.

a) *Traçtatu de nervis recensit Vogels neue medic. Biblioth. 5. Bands 4. Stück p, 109,*

§ XIX.

An intumescencia nervi ligati, & succus e dissecto nervo emanans fluidum nervis inesse probant? Veterum certe observationes & experimenta repetunt recentiores. LEDERMÜLLER in Observatione microscopica nervorum hæc habet *a)*: *Oculus vitulinus, in cuius nervum opticum spiritus nitri aqua dilutus injectus erat, non solum exinde intumescibat, sed cornea cærulea reddebatur. Deinde in nervo optico horizontaliter secto & nudo oculo & armato multos tubulos succo albo & spisso repletos detegebat. Idem longitudinaliter sectus ostendebat sub microscopio multos tubulos ante juxta sepositos, ex quorum superiori superficie, si nervus premebatur, succus lacteus emanabat.*

De intumescencia nervi ligati hæc habet MOLINELLI *b)*: *Nervos scilicet supra ligaturam vel sectionem intumescere vidit, & ita in iconibus additis delineavit, ut vere cognoscatur, substantiam ipsam nervi, minime vero involucra tumescere, quod magna quidem ex parte a vasorum sanguinem vebentium tumescencia pendet. Cum tamen tumor non subito oriatur, sed sensim increseat, dubium omnino est, annon alius liquor in nervis hanc crassitiem faciat? Sic videtur cl. Autori, qui in nervo paris octavi sinistro parvæ canis ad linearem aliquot spatium supra ligaturam cellulas ad rectangularem figuram accedentes, & in varios ordines per nervosas fibras transversim dispositas & liquore tenuissimo albo repletas ostendit. Hæc tamen fabrica & conclusiones inde producendæ ulterioribus experimentis declarandæ sunt.*

§ XX.

Continuo motu nervos hoc fluidum permeat, lento utique, ut Ill. HALLERUS dicit *a)*, quo ipso motu in fetu, in
que

a) Recensit. in Comment. Lips. Vol. XI. P. III. p. 523.

b) Molinelli Observ. de ligatis sectisque nervis octaviparis in Commentar. Academ. Bonon. T. III. recens. in Comment. Lips. Vol. V. P. II. p. 301. seqq.

a) Elem. Phys. T. IV, p. 384.



homine quiete dormiente, inque nervis, quorum officio anima nunc non utitur, spiritus continuo a cerebro ad nervorum fines tendunt.

§ XXI.

Quo fluidum hoc, absoluto itinere ad remotas partes, abeat, varia variorum est sententia. Vias physiologi assignant huic fluido, reduces, quales in sanguinis itinere invenerunt; alios scilicet spiritus in venulas quascunque, & in lymphatica vascula valvulosa resummi putant; alios partim per lymphatica ad ventriculum, intestina, glandulas vehi, partim omnimode papillis cutaneis exhalare & disperire credunt. Non defunt, qui ad cerebrum per eosdem nervos redire posse, sibi persuadent; nec, quorum hypothese ex nervis in membranas, & ex iis ad meninges redire, nec alii, quorum opinione ad nutritionem partium consumi statuitur *a)*.

§ XXII.

Plurimi auctorum exhalationem illius de papillis cutaneis admittunt; doceant totalem ejus dissipationem, uti *Monro b)*, hypothesein de nervis revehentibus negans, & quatuor argumentis contra illam militans; vel concedant, tantum partem illius aliquam transpirare, superstitem resorberi: ut *Ill. de Haller c)*: *Liquorem nobilissimum perire, non est probabile: pars ergo videtur resorberi.* Et seqq. pag. *Cutem, quæ tota fere nervus sit, aliquid exhalare, non repugnat analogiæ.* Triplicem viam habet *Boerhav. d)* I. Reductionem per venam spirituosam in venas lymphaticas & sanguinem. II. Exhalationem in cavitates corporis. III. Exhalationem ex cute, de qua sic: *Denique nervi ultimis suis ramulis apertis etiam ex ipsa cute exhalare*

a) v. *Haller Elem. Phys. T. IV. §. XXX.*

b) *Lehre von den Knochen §. 47.*

c) *T. IV. l. c. §. XXX.*

d) *Boerhav. Prælect. Acad. Vol. II. §. CCXCII.*



lare videntur undiquaque suos spiritus, ut transpiratio spirituosam existat, ut novimus, aliam adesse arteriosam. Eadem habet a) NIEFELD, partim reductionem fluidi nervei in venas lymphaticas, & cor dextrum, partim exhalationem illius, in varias corporis cavitates, vel & in auram nobis contiguam transpiratione insensibili eructantem statuendo.

§ XXXIII.

Doceant itaque fluidi nervei de papillis cutaneis exhalationem sive totalem sive aliqualem tantum, favebit semper hæc hypothesis genesi miliarium alborum ex nervis exhalantibus.

§ XXIV.

Sed suppositis etiam his omnibus, ratione geneseos miliarium alborum ex fluido nerveo, non satis tamen liquet: An miasma fluido nerveo insinuatum, eas in circulo hujus fluidi producat anomalias, quæ totum morbum cum suis Symptomatibus ideoque etiam exanthematibus his constituat?

An genesis exanthematum ex sola cutanearum papillarum exhalantium præternaturali constitutione circa orificia petenda sit?

An vero utrumque vitium, infectio scilicet fluidi nervei cum P. N. osculi exhalantis constitutione simul concurrat?

§ XXV.

Si Autores ortum miliarium alborum per hypothesein ex systemate seroso-lymphatico expliantes evolvantur, diversissimam eos statuisse miasmatis illius naturam comperimur: Aliis *acida acrimonia*, aliis *putredinosa* corruptio, aliis *venenata* miasmatis indoles arrisit. *Acido-vappidam* HOPFMANN maxime defendit b): *Putredinosam* CARTHEUSER c): *Causa*, inquit, *pur-*

a) Niefeld Specimen II^{um} de secretionem humorum in specie. §. 643.

b) Med. ration System. T. IV. Sect. I. Cap. IX. §. VII.

c) Fundam. Pathol. & Therap. T. II. Sect. VII. Cap. VII. §. V.



purpuræ in copiosa impuritate acri scorbutica eaque resoluta magis ac volatiliori reddita, & cum tenuiori saltem muco remixta, posita est: notari tamen debet, in febris hujus census malignis causis hoc fermentum valde ad corruptionem putredinosam inclinare, & in alba purpura non cruori tantum, sed universæ etiam massæ seroso lymphaticæ, largius immersum esse: Eidem sententiæ Ill. TRALLESIUS subscribit a): Causa, dicens, purpuræ albæ est serum ichoreescens putrilaginosum erosio vasculis minimis sub epidermide stagnans.

Venenatæ vero indolis fautorem ALLIONI habemus b): Aëris, ait, ope & consortio hominum miasma purpuræ traduci, diu innocuum corpora inhabitare posse, singulari & propria vi solida & nervos tendere, convellere, sanguinem, præcipue lympham cogere, vasa lymphatica primum, postea sanguifera inflammatione incendere, illam ex miasmatis mobili natura non constantem esse, sed facile solubilem, miasma plerumque ad cutim, cuius nervis infensissimum, propelli, ibique perspirationis materiam & alios quoque humores corrumpere; & concludit esse ex substantia tenuissima, exstimulanti veneno prorsus æquiparanda. Tenuitatem comprobant mobilitas exanthematum, venenatam vero indolem similitudo, quæ est inter hydrophobiam & hunc morbum. Illa enim eadem ac purpura producit symptomata, eo tantum cum discrimine, quod illa ad certa loca sanguinem, hæc vero lympham determinet, ibique retineat. Alii singularem cacochymiam accusant, ut cel. BOSE c): Nobis interim verisimillimum videtur, miasma hoc consistere in singulari cacochymia humorum lymphaticorum tenaci, acri, & perspirabili, ex causis singularibus nata, & in corpore ulterius evoluta, subtiliore reddita, indeque interdum contagiosa facta.

Sed

a) Tractatus de Medicamentis terreis.

b) Tractat. de miliarium origine, progressu, natura & curatione, recensit. in Comment. Lipsi. Vol. VIII. p. 606.

c) Dissert. de Morbo Miliari Resp. Frælich. p. 15. Lipsi. 1767.

Sed in has lites me non immergam, mihi non incumbit necessitas, inquirendi in naturam miasmatis, nam diversæ species diversissimorum in praxi occurrentium miliarium alborum facis docent diversissimam illius miasmatis naturam. Eo potius cardinalis redit quæstio, quomodo cujuscunque naturæ miasma ad liquidum nerveum penetrare possit, cujus resolutio quidem non adeo difficilis videtur: Quo scilicet vel sanguis vel lymphæ imbuta fuerint miasmate, illo facillime inquinare poterunt liquidum nerveum ex eis fecernendum. An mirum videri potest, subtilissimum agilissimum aliquod miasma ad ipsa organa secretionis liquidi nervei penetrare, & cum illo fecerni posse?

§ XXVI.

Hinc facile patet, cur eadem (§ 25.) vitia ad fluidum nerveum transtulerint disquisitæ hypotheseos fautores; eos autem hæc vitia privata soli liquido nerveo competentia & in illo ipso evoluta statuisse, vix mihi persuadere possum. Absurdum enim videri posset, fluidi, cujus naturam ignoramus, statum P. N. determinare ejusque vitia demonstrare velle privata. Ill. GAUB a liquoris genitalis affectionibus ita transgreditur ad fluidi nervei Pathologiam: *a) In re obscura nihil pronuntiandum, donec plenior lux ex Physiologia affulserit: Eadem circumscriptio præterire etiam jubet, quæcunque de vitalis fluidi vitiis profervi solent.* Interim negari non potest, vitiis æque obnoxium esse hoc vitale liquidum, ac alium quempiam humorem. Qualia vero sint hæc vitia, utrum eadem, quæ in reliquam humorum massam cadunt, communia, an vero plane privata, determinare, Pathologicum problema est manetque. Quatenus quidem ad succos e sanguine secretos pertinet, compe-

a) Gaub Instit. Path. p. 175.



petunt & ipsi, quæ de succorum secretorum vitiis loquitur GAVBIUS a) *Igitur & communia quidem ex communi fonte, unde dimanant, vitia trahent, quæ tamén pro discrepante cuiusvis indole aliquid singulare habeant, aliaque & alia mala inferant: & privata quoque jam secretis evenire poterunt, quæ non admodum in aliis occurrant.* Nec deficiunt autores, qui diversos morbos ex vitio succo nerveo, & ut videtur, ex privato ipsique soli competente vitio derivant. Sed omnibus his rationibus non determinatur, cujus naturæ sit liquidi nervei depravatio in miliaribus albis. Si STRYRI sententiæ in Dissertatione sub Præsidio Ill. BÜCHNERI propositæ accederem, qui nullum succi nervei vitium admittit, nisi cohæsiōem vitiatam: verbis: b) *videtur ergo, quod cohæsiō magis vel imminuta vel aucta hoc fluidum tantum mutare possit: Cum autem cohæsiōne aucta augeatur lentor, & imminuta augeatur subtilitas, hinc prior mutatio vocari potest lentor liquidi nervei, posterior subtilitas nimia; miliarium quoque exanthematum genesis ex hac sola deducenda esset. At quam facile esset, ex stimulo, vel a lentore vel a nimia huius fluidi subtilitate, in totum genus nervosum impresso, miliarium originem, & tot tamque gravia tamque periculosa symptomata exanthematum eruptionem antecedentia, comitantia, eorumque retrocessionem sequentia, deducere; tantæ tamen ambiguitatis est hæc doctrina, ut utrumque vitium eodem modo produceret miliaria, scilicet stimulo, & inde enatis turbis in functionibus nervorum & circulo liquidi; hinc hypothese hac nihil dictum esse videtur. Si Hamiltonum audiamus, aciditatem in succum nerveum devolventem, his verbis: *Quod ad causas febris miliaris internas attinet, partim a sanguinis & succi nervosi serositate nimia, &* qua-*

a) l. c. §. 370.

b) Diff. de liquidi nervei ratione ad vitam & sanitatem Hal, 1765.

*quadam acida acrimonia, partim etiam a succi nervosi nimia commotione pendere videntur; c) non solum ex ipsis verbis elucet, Hamiltonum illud vitium non ut privatum, sed ut tale, quod cum sanguine commune habet, considerasse; sed & ipsa in praxi acidulorum analepticorum singularis efficacia contradicere videtur. Nec tamen alcalina acrimonia in ipso liquido nerveo evoluta assumi potest, cum hæc semper maximo stimulo ageret, nec diversæ exinde explicari possent miliarium alborum species. Quid demum in re tam intricata pronuntiandum? An præstat cum Cel. de FISCHER confiteri? a) *Malo cum veteribus ignotam qualitatem humoris pecantis, intempereii titulo, vocare, quam falsam incertamve fingere, & hoc eo magis, quoniam hic non alterantibus, sed roborantibus nervinis, & diluentibus leniter diapnoicis agendum erit. Minime! Asylo non opus est. Id, quod peregrinum in nervis supponi potest in miliaribus albis, propriam sibi omnino naturam, viresque privas ac agendi modum vindicare, mirabilem facultatem sanos humores in sui similitudinem convertendi habere, intimam cum liquido nerveo unionem subire videtur, sua, qua gaudet, noxia & deletoria vi & corrumpit & inficit, nervos irritat, stimulat, & in ipsis, quamdiu vis vitæ viget, singulares in solitosque sæpius motus, omne peregrinum e corpore exterminaturos, producit; id est: miasma est subtilissimum diversæ naturæ, prouti diversæ inveniuntur miliarium species. Quis vero id in solis nervis quæsierit? Quis in ipso solo liquido nerveo privative evolutum & genitum esse crediderit? Nonne miasmatis conceptus involvit tantam subtilitatem, ut conceptu**

a) *Dav. Hamilton Tract. de febr. miliarī infert. in Th. Sydenham opere in T. I. 1757.*

a) l. c. p. 55.



ceptu facillimum sit, ex sanguine sub ipsa secretione in liquidum nerveum transiisse, & cum hoc sanguini iterum & lymphæ affusum, eundem circulum infectionis mutuxæ fervare, quem secretum ex sanguine liquidum nerveum servat reaffusum sanguini & lymphæ in statu sano. Cujuscunque igitur naturæ sit miasma, cuicunque fluido fuerit a principio insinuatum, ex sua natura ad omnia transibit, & ab uno in alterum transmigrabit; Ad fluidum nerveum vero delatum singulares turbas excitabit, quæ, si circulum fluidi nervei statuere fas sit, mirandas circuli hujus confusiones, si exhalationem, hujus excessus, impedimenta, & inde plane peculiaris exanthematica phænomena in cute efficere facile poterit.

§ XXVII.

Hæc circa miliaria alba maligna satis probabilia videntur, & assumpta hypothefi de circulo & exhalatione fluidi nervei vix non omnem excludunt contradictionem. Sed ex his principiis quidem explicatu non æque faciles videbuntur nonnullis miliarium benignæ species. Jure scilicet quærunt, an semper peregrinæ materiæ præsentia, ipsiusque fluidi nervei infectio, mutatio, ad miliaria alba producenda requirantur? Possent ne potius ex sola fluidi nervei, quoad crasin naturaliter constituti, exhalatione, ob qualemcunque papillarum cutanearum P. N. statum, impedita, miliaria alba oriri? quæ scilicet altera est quæstio ex superius propositis; & qua posita & assumpta hypothefi forte facilius explicari possent miliaria alba *benigna*. At, hac fictione non opus est; nec sane concipi potest alius benignorum ortus a malignorum miliarium ortu, quoad modum fiendi, tam diversus, nisi ortum malignorum ejusque explicationem longe Intricatiorem reddere velimus: Decipimur, credo, si benigna inter & maligna miliaria alba
for-

formalem differentiam intercedere statuerimus; utrique exanthematum, quoad *formam*, eadem competunt; *materialiter* contra differunt. Materialis malignorum miliarium causa in maligno miasmate nervis insinuato (super. §.) posita est; sed & benignæ miliarium alborum species peregrinum quoddam pari, ac in malignis, ratione, ad nervos translatum supponunt; Id vero peregrinum, quod benigna miliaria producit, respectu indolis, a malignorum miasmate se distinguit; Illud benigna, hoc maligna natura sese notat. Plurima enim sunt, quæ nostris humoribus sese insinuare possunt, peregrina, quæ vero quoad indolem modumque agendi a se invicem sunt diversissima. Liceat casibus evidentissimis, ab ipsis miliarium alborum speciebus in praxi occurrentibus, ad probandam Thesin uti: Constat, dari miliaria alba, quæ gangrænæ accedant, dum scilicet superstitie in partibus gangræna affectis vel vicinis circulationis vigore, halitus gangrænosus putridus ad sanguinem resorbetur; alia, quæ febrem lochialem comitantur, si scilicet ex lochiis in vasis uterinis stagnantibus, corruptis, ad sanguinem vel minimus halitus resorbetur; alia, causum comitantia, dum scilicet sub tam pertinacealvi obstructione feces putrescant, & putridum ex intestinis ad humorum massam resorbetur; alia, hæticæ supervenientia, si pus ex ulcere in sanguinem resorbetur; alia, sub ablactatione, vel febre lactea, vel quacunque mora lactis excretionem impediante, oriunda, si scilicet lac, mutato in illo per moram crasi, circulationis viis redditur. Plures species proferre taceo, cum ex his dictis sat superque appareat, singulas miliarium alborum species peregrinum quoddam humoribus insinuatam supponere. An vero idem? Absit! Facillime sibi nemo non concipere poterit, aliam indolem, aliamque agendi facultatem ei peregrino resorpto competere, quod ex ichore gangrænosus, fecibus putridis, lochiis corruptis &c. aliam ei, quod ex lacte resor-



pto. &c. genitum fuit. Cujus itaque indolis fuerit materia illa peregrina ad sanguinem translata, ejusdem indolis erit id, quod ex sanguine ad nervos transmigrat, & pro natura hujus, symptomata plus, minus maligna vel benigna orientur; id est: Miasma malignum maligna miliaria, benignum benigna producet. Eadem plane ratione, qua malignum miasma ad nervos transfertur, benignum quoque ad eosdem transire, eosque in ipsis motus producere potest, quos in vivo corpore a quocunque P. N. stimulo excitari comperimus, eo saltem cum discrimine, ut, cum stimulus lenior sit, moderati quoque motus in eundem insurgant; cum in malignis contra tantæ malignitatis sit stimulus, ut vel motus irritatione violenta perturbando, & vehementissime incitando, vel vires supprimendo, functiones vitæ pessumdet, & sensuum motuumque facultates tristissimas in turbas conjiciantur, nec mirum sit, cur naturæ vires raro hic multum valeant. Pro stimulo autem, quem miasmata tam benignorum quam malignorum miliarium alborum nervis imprimunt, & perceptionibus, quæ ab hoc stimulo excitantur, dijudicandis, subjectorum præcipue ratio habenda est; sensibilitas enim diversa diversam a stimulo perceptionem producit.

§ XXVIII.

His positis, facile liquet, hanc peregrinæ materiæ ad nervos translationem non sufficere ad explicandum ortum miliarium alborum, ejusque modum fiendi, sed vel certam acrimoniam, quæ per illud peregrinum liquido nerveo communicata radat fines nervorum, supponendam, vel ad spasmodicas stricturas, exhalationem retinendo has vesiculas formantes, confugiendum esse; inde respondetur ad tertiam propositam quæstionem; assumendo scilicet illam, quod ad miliarium ortum

tum & formationem duplex quoque requiratur & ortus & formationis causa. Sed neque hæc sufficit, si exactius respendatur. Videntur potius plura se invicem excipientia ad formanda miliaria alba sive benigna sive maligna requiri. Primum est resorptio materiæ peregrinæ vel miasmatis in sanguinem, quam stimulus in nervosum systema excipit, quod irritatum anomalias motuum producit, quibus excretiones turbantur; hinc peregrinum illud eliminari nequit, sed longius in corpore oberrat, motibus resolutoriis magis exaltatur, & tam subtile redditur, ut sub ipsa secretionem liquidi nervei cum liquido hoc secretum ad nervos deveniat, peculiare ibi turbas, stricture in primis periphericas excitet, quibus non solum transpiratio insensibilis arteriosa, sed & nervea sufflaminetur, impetu autem in circulo liquidi nervei aucto, hinc inde ipsum liquidum nerveum sub sudoribus turmatim tunc profluentibus & coactis protrudatur, & sub forma vesicularum sub epidermide stagnet.

§ XXIX.

Sed, quicquid de his proferre licebit, *hypotheticum* est, *quamdiu ex physiologicis non plenior lux affulserit*. Sufficit, Practicis ansam præbuisse, penitus rem meditandi, & sua ipsorum attentione & iudicio illas experientias cumulandi, quarum denique acervo liceat ex observationibus dubia vexata circa miliaria diluere, idque supplere, quod vix unquam per principia physiologica demonstratum sperari potest. Sane si ullus, hic certe, qui in limine positus est, casus hypothese illam *de miliaribus e nervoso systemate orientibus* probabilem reddit, præsertim si ulteriori observatione per sectiones demonstratum fuerit, bilem, quod scilicet ex superius allegata



ta sectione sequitur, omnes partes, omnes liquores tingere,
præter cerebrum (forte medullam spinalem) & liquidum nervosum.
Hæc si casto & a præjudiciis purgato ratiocinio rimari vo-
luerint Medici, habebunt sane, cur omni occasione
in sectionibus ictericorum ad id phænomenon
attendant.



